



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Thomæ A Kempis Canonici Regularis Ord. S. Augustini De Imitatione Christi Libri Quatuor

Thomas <von Kempen>

Coloniæ, 1723

XL. Quòd homo nihil boni ex fe habet , & de nullo gloriari potest.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45773](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45773)

abnegatio sui ipsius: & homo abnegatus, valde liber est & securus.

Sed antiquus hostis, omnibus bonis adversans, à tentatione non cessat: sed die noctuque graves molitur insidias, si fortè in laqueum deceptionis possit præcipitare incautum.

Vigilate & orate, dicit Dominus, ut non intretis in tentationem.

### C A P U T XL.

*Quòd homo nihil boni ex se habet, & de nullo gloriari potest.*

I. **D**omine, quid est homo, quòd memor es ejus; aut filius hominis, quia visitas eum?

Quid promeruit homo, ut dares illi gratiam tuam?

Domine, quid possum conqueri, si me deseris? aut quid justè obtendere possum, si quod peto non feceris?

Certè hoc in veritate cogitare possum, & dicere: Domine, nihil sum, nihil

nihil possum, nihil boni ex me habeo; sed in omnibus deficio, & ad nihil semper tendo.

Et nisi à te fuero adjutus, & interitus informatus, totus efficior tepidus & dissolutus.

2. Tu autem, Domine, semper idem ipse es, & permanes in æternum, semper bonus, justus & sanctus; bene, justè, ac sanctè agens omnia, & disponens in sapientia.

Sed ego, qui ad defectum sum magis pronus, quàm ad profectum, non sum semper in uno statu perdurans, quia septem tempora mutantur super me.

Veruntamen citò melius fit, cùm tibi placuerit, & manum porrexeris adjutricem, quia tu solus sine humano suffragio poteris auxiliari, & in tantum confirmare, ut vultus meus ampliùs in diversa non mutetur, sed in te uno cor meum convertatur, & quiescat.

3. Unde si bene scirem omnem humanam consolationem abjicere,  
five

sive propter devotionem adipiscendam, sive propter necessitatem, quâ compellor te quærere, quia non est homo, qui me consoletur:

Tunc possem meritò de gratia tua sperare, & de dono novæ consolationis exultare.

4. Gratias tibi, unde totum veniet, quotiescunque mihi bene succedit.

Ego autem vanitas, & nihilum ante te, inconstans homo & infirmus.

Unde ergo possum gloriari, aut cur appeto reputari?

Numquid de nihilo? & hoc vanissimum est.

Verè inanis gloria, mala pestis, vanitas maxima: quia à vera trahit gloria, & caelesti spoliatur gratiâ.

Dum enim homo complacet sibi, displicet tibi: dum inhiat laudibus humanis, privatur veris virtutibus.

5. Est autem vera gloria & exultatio sancta, gloriari in te, &  
non

non in se: gaudere in nomine tuo,  
non in propria virtute, nec in ali-  
qua creatura delectari, nisi pro-  
pter te.

Laudetur nomen tuum, non me-  
um: magnificetur opus tuum, non  
meum: benedicatur nomen san-  
ctum tuum, nihil mihi autem attri-  
buatur de laudibus hominum.

Tu gloria mea, tu exultatio cor-  
dis mei.

In te gloriabor & exultabo tota die;  
pro me autem nihil, nisi in infirmi-  
tatibus meis.

6. Quærant Judæi gloriam, quæ  
ab invicem est: ego hanc requiram,  
quæ à solo Deo est.

Omnis quidem gloria humana,  
omnis honor temporalis, omnis al-  
titude mundana, æternæ gloriæ tuæ  
comparata, vanitas est & stulti-  
tia.

O veritas mea & misericordia  
mea, Deus meus, Trinitas beata, ti-  
bi soli laus, honor, virtus & gloria,  
per infinita sæculorum sæcula.

CA-